



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Assertio Septem Sacramentorum Aduersus Mart. Lutherum

Heinrich <VIII., England, König>

Parisiis, 1562

De Poenitentia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30233

versipellis talibus ludit technis? Cur in pontificem, cui dicit obediendum esse, conuiciis insurgit? cur tumultum suscitatur? cur in illum concitat populos, cuius vel tyrannidem (vt vocat) fitetur esse ferendam? Profecto non ob aliud, opinor, quam vt fauorem sibi conciliet improborum, qui suorum scelerum impunitatem cuperent, & eum qui pro libertate eorū iam decertat, caput ipsis instituere, & ecclesiam Christi tam diu supra firmam petram fundatam, demolirentur, & ecclesiam nouam ex improbis & flagitiosis constatā erigerent, contra quā clamat propheta: *Odiui ecclesiam malignantium, & cum impiis nō sedebo. & vnā cum illo nostra clamet ecclesia: Dirige me in veritate tua, quia tu es deus saluator meus, & te sustinui tota die.* *Psal. 25.* *Psal. 24.*

DE PŒNITENTIA.

DE pœnitentia pœnitet audire quas nugas, quę somnia, quā absurda, quā impia, quā sibi repugnātia deblateret. Primum, suo more, velut nouum proponit, quod omnibus est notissimum, fidem habendam promissioni dei, qua promisit pœnitenti remissionem peccatorum, & iam

Lutheri mos, notissima cen ignota proponere.

infectatur ecclesiam, quod hanc fidem non doceat. Quis est, obsecro, qui hortatur quemquam ad Iudae poenitentiam, ut doleat quod commisit, nec tamen speret remissionem? Quis doceret orandum pro venia, nisi qui doceret promissam poenitentiam veniam? Quid predicatur saepius, quam dei tam immensa clementia, ut nulli quantumvis scelerato se emendanti claudat misericordiam? Nemo ne praeter Lutherum legit unquam: Quacumque hora ingemuerit peccator, saluus erit? Nemo legit dimissam adulteram, veniam prophetae datam non adulterij tantum, sed homicidij quae? Paradisum latroni datum, & eo datum tempore, quo commissa prius flagitia, nulla potuit satisfactione redimere? Tantum abest ut haec non doceatur fiducia consequendae veniae, quam praeterita esse clamat Lutherus, ut potius in eam partem nimij sint qui populos docent, ita per se libenter in hanc fiduciam praecipites, ut magis in alteram partem sint auocandi, quam contemplantur seueram atque inflexibilem dei iustitiam. Decuplo enim plures inuenies, qui nimia peccent istius promissionis fiducia, quam desperatione remis-

Ezech. 18.

Ioan. 8.

2. Reg. 12.

Lucae. 23.

Populus nimis preceptis in fiducia

tionis obtinendæ. Desinat ergo Lutherus *consequen-*
eam rem pro noua nobis & admiranda pro- *de uenæ,*
ponere, quam nemo non nouit. Desinat
quiritari desuetam esse, qua nihil est vfi-
tarius.

DE CONTRITIONE.



Bliteratis, inquit, promissio- *Lutheri*
ne & fide, videamus quid sub- *verba*
stituerunt in locum earum. Tres,
inquit, partes dederunt pœni-
tentia, contritionem, confes-
sionem, satisfactionem. Quas omnes tres
ita tractat Lutherus, ut satis perspicuum fa-
ciat, nullam earum satis ei placere. Nam
primum, in cōtritione indignatur, & iram
dei vocat insistentabilem, quod attritio- *Luthero ni-*
ni fiat locus, & credatur deus in dolore *miū displi-*
non satis de se vehementi, per sacramen- *cet attri-*
tum supplere quod deest homini. Videat- *tio.*
mus ergo quam præclare tuetur quod di-
cit, quid ipse contra statuatur. Magnam rem
docet esse contritionem, nec facile para- *Lutheri*
bilem. Iubet omnes habere pro certo, & *verba.*
indubitate credere, propter verbum pro-
missionis omnia sibi peccata esse dimissa,
& à deo se solutos in coelo, postquam per
os hominis soluti sunt in terra. Qua in re,